



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 216. Quid præterea notandum sit circa approbationem Regularium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42624

attamen pro confirmandis hîc dictis n. 1. occurrit hæc ratio, quia tales castrenses sunt Parochi suæ legionis, ergo talis legio est ipsius Parochia, ergo ubicumque sit legio, ipse semper est in sua Parochia, dicitur enim Parochus à *παροικος* accola seu incola, eò quòd collocetur inter eos, quorum, quoad animam, curam gerit, uti dixi l. 4. n. 599. ergo cùm semper sit inter legionem suam, semper est in Parochia sua, & non tantùm circumducit Parochianos suos, sed reipsa circumfert totam Parochiam suam, uti enim legio est vaga & nullo loco fixa, ita & Parochia illius, ergo sicuti Parochus existens in sua Parochia semper potest absolvere suos, ita & talis Missionarius.

Q. 216. Quid præterea notandum sit circa approbationem Regularium. R. seqq. §. 1. Illi Regulares approbantur ab Episcopo, qui approbantur à Superioribus suis ex speciali gratia vel facultate concessa ab Episcopis, uti per se patet. 1519.

§. 2. Ex n. 1505. constat Confessarium Regularem exemptum, quamvis secundùm dicenda n. 1552. habeat jurisdictionem à Papa, attamen hanc habere suspensam usque ad approbationem Episcopi, qui si hanc semel dederit, functus est officio suo, & tum habent Regulares jurisdictionem à Papa acceptam, omnino expeditam, nec impedibilem ab Episcopo, secundùm dicenda n. 1545. Tenetur autem Episcopus Regularem repertum absolutè idoneum approbare indistinctè sine restrictione ad tempus, loca, personas, uti habet *Clemens X.* n. 1505. Non sufficit autem peritam esse & injustè denegatam approbationem, uti colligitur etiam ex 1520.

hac prop. 13. ab *Alex. VII.* damnata, *Satisfacite* precepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo presentato & ab eo injustè reprobato. An verò possit Episcopus revocare approbationem semel datam, dicitur n. 1545.

1521. §. 3. Quamvis plures apud *Lugo* d. 21. n. 9. dixerint Prælatos Regulares, uti Provinciales, Priores, Guardianos, Rectores, non indigere approbatione ad audiendas confessiones sæcularium, eò quòd sint veluti Parochi curam animarum habentes, tamen oppositum omnino tenendum est cum *Suar. Fagund. Lugo* num. 10. *Viva De Jubil.* q. 9. a 4. quia re ipsa non sunt Parochi, cum Parochus definiatur esse, qui auctoritate Episcopi, ecclesiæ Parochiali est præfectus, ut populo subministret pabulum verbi Dei & Sacramentorum: ergo etiam de talibus Prælati valent dicta n. 1505. De Abbatibus dicitur n. 1535.

1522. §. 4. Si sæculares in Monasterio famulentur Regularibus & non sint de familia, id est, continuò ibi non fruuntur mensâ, opus est approbatione Ordinarii, ut audiri possint, uti tenent omnes cum *Sylvio* p. 1. v. *Confessarii approbatio*: Et quamvis sint de familia, si Superiores Monasteriorum non sint Abbates cum potestate, de qua dictum est n. 1497. adhuc opus esse approbatione Ordinarii ad illos audiendos, tenent *Sylv.* supra, & iterum p. 2. v. *Confessarii approbatio*. Sed rectè contradicunt *Rodriq. La Cruz, Tam.* & jam certum est ex n. 1505.

1523. §. 5. Si Episcopus aut Vicarius illius Generalis concedat Regulari facultatem audiendi Diocesanos, vel si det alicui Diocesano facultatem confitendi Regularibus, frustra repugnant Parochi,

Parochi, nam singuli Parochiani sunt subditi Ordinario tanquam Pastori universali omnium, etiam ipsorummet Parochorum.

Q. 217. Cui confiteri debeant aut possint Regulares itinerantes. R. §. 1. Regularis, saltem Societatis JESU, confiteri debet socio suo Sacerdoti ejusdem Ordinis, non autem externo aut alterius Ordinis, imò nec ejusdem Ordinis fortè in via occurrenti. Quòd si non adsit Confessarius ejusdem Ordinis, potest confiteri cuivis, etiam non Regulari. Putantque *Suar. Tamb. Sporer* n. 685. *Burgh.* cent. 2. casu 8. contra *Vasq.* etiam non approbato ab Episcopo, quia Prælati censetur id permittere, si sit consuetudo vel necessitas confitendi aut communicandi de via; nec requiritur, ut Confessarius Regularum sit ab Episcopo approbatus, saltem exceptis Monialibus, sed secundum dicta n. 1487. satis est esse designatum à Superiore.

§. 2. Religiosus Societatis JESU divertens ad aliquam domum sui Ordinis tenetur confiteri aut socio viæ, aut uni ex ordinariis Confessariis illius domus, *Gob. tr.* 7. n. 646. Quid facere debeat, si casum reservatum habeat, dicitur n. 1679. Quoad alios Religiosos, quisque debet se conformare suis Statutis vel consuetudini.

§. 3. Si Moniales absint à suis Monasteriis, etiam scient, quid sibi liceat per Statuta vel consuetudinem: quòd si nesciatur de Statuto vel consuetudine, putat *Platelius* permitti, ut cuivis confiteantur: Melius tamen est interrogare, an facultatem habeant, & si affirmant, credi potest.

§. 4. Dubium est, an Moniales cum licentia